



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

De S. Eupilio Ep. Conf. Comi In Italia Sylloge E Martyrologiis ac præcipue a
Comensibus Annalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

AUCTOR
J. B.

nico Alexandrino pag. 741 Honoriam retinuit Genserico filio suo Hunerico desponsam. Reliquum igitur est, ut Juliana patricia ex Placidia Valentiniani filia sit nata; id quod pariter in Diagrammate iv Genealogico Valentiniani I apud Lambecium tom. 2 Bibliothecæ Cæsareæ pag. 585 videre est. Quibus accedit, arduum creditu captique videri, antiquiora ecclesiæ Veronensis monumenta decaplicitate S. Placidie, quam ignorare Veronenses non potuere, nihil plane meminisse; nihil de condito ejus opibus Constantinopoli S. Euphemie templo, Olybrii dicto; nihil de facultate eligendi, quem vellet, episcopum Carthaginensibus catholicis partim ob ejus preces ab Hunerico, teste Victor Vitensi, concessa; quæ sane ad ejus laudes plurimum contulissent; captu, inquam, arduum est, alto hæc fuisse involuta silentio, si nimirum eadem, quæ Placidia, Valentiniani III filia, fuisset. Victoris Vitensis lib. 2. Persecutionis Wandalicæ num. 1 apud Ruinartium hæc verba sunt: Dedit autem (Hunerico) licentiam, B Zenone imperatore atque Placidia, relicta Olybrii, rogantibus, ut Carthaginensis ecclesia sibi, quem vellet, episcopum ordinaret, quæ jam per viginti quatuor annos tali ornamento fuerat destituta.

9 Quisquis ista perpenderit, mecum, ut opinor, statuet, floruisse quidem apud Veronen-

ses seculo v morum sanctimonia S. Placidiam virginem; sed virtutes ejus resque gestas temporum lapsu rerumque vicissitudine fuisse eorum hominum memoria magna ex parte deletas: ipsam vero posterioribus seculis pro Valentiniani III filia haberi ceptam esse ea solum de causa, quod eodem utraque seculo vixerit, idemque nomen habuerit; id quod etiam indicare videtur Scipio Maffeus lib. xi Hist. Veronensis col. 345 scribens, S. Placidiam, Valentiniani filiam olim creditam ob nominis congruentiam. Quo anno in vivis esse desierit, dicendo non sum: signavi tamen annum 460, Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiae, et Castellanum in Martyrologio universali nimirum secutus; etsi, si S. Placidia Valentiniani III, ut Ferrarius credidit, filia fuerit, eam ad annum ut minimum circiter 481, quo Eugenius Carthaginensis episcopus est ordinatus vitam produxisset, ex Victore Vitensi mox laudato sit certum. Obiisse S. Placidiam anno 495 La Hier in Menologio SS. Virginum scribit: at, cum nullum dicti sui testem proferat, ex conjectura id abs illo factum arbitror. Nihil plus certi de die, quo ex hac vita ad beatam transiit, dixerit; his, ut supra dictum est, ad diem Octobris xi, aliis ad xv ejus mentionem faciuntibus, et Francisco Tinto, sed pariter absque vade ac teste, eam die 2 Octobris mortales ecessisse ecessias, affirmante.

neque sat certus est, quo obiit aut annus, aut dies.

DE S. EUPILIO EP. CONF.

COMI IN ITALIA

C. B.

SYLLOGE

E Martyrologiis ac præcipue a Comensibus Annalibus.

ANNO CIRCI-
TER
DXXXVII.
S. Eupilius,
qui Comi, con-
tra ac Ferrar-
ius hic insi-
nuare videtur,

I nter Comensis seu Novocomensis ecclesiæ episcopos, quorum jam plures sanctitate illustres in Opus nostrum intulimus, ab Ughe-
llo Italia sacrae tom. 5 nonus ordine numeratur S. Eupilius seu, ut etiam vocatus invenitur, Euplius. Hunc hodie sequenti isthoc elogio, Eupilius episcopus Comensis ix. S. Eutychio successit in episcopatu. Is Germanus natione ex Ultra-
jectensi urbe originem duxit. Qui in Italiam veniens, cum vitæ probitate, doctrina et moribus excelleret, S. Eutychio meruit in ecclesia Comensi subrogari. Quam ecclesiam sic pie administravit, ut non sine Sanctitatis opinione decesserit v idus Octobris. Cujus corpus in æde S. Abundii conditum est, Ferrarius in Sanctorum Italiae, quem anno 1613 typis vulgavit, Catalogo exornat; verum elogio mox subjungit Annotationem, sequentibus hisce de Sancto nostro verbis conceptam: Post annum Domini v vixisse ecclesiæque Comensi præfuisse ex conjecturis videtur, qui non multis abhinc annis in tabulas referri ac in ecclesia Comensi celebrari cepit. Ad hæc Comensibus episcopis, de quibus, licet inter Sanctos habiti sint, ecclesia Comensis, ut ait, nullum recitat Officium, idem Ferrarius in nova sua in Martyrologium Ro-

manum Topographia, anno 1609 excusa, S. Eupilium accenset; hinc autem, an ante celeberrima Urbani VIII decreta, quibus ne servis Dei, Sanctorum aut Beatorum albo ab Ecclesia nondum adscriptis, nec cultu ecclesiastico centum amplius annis ante annum 1634 affectis, honores Sanctis proprii deferantur, est cautum, cultu ecclesiastico Comi a tempore, centum amplius annis dictum annum 1634 prægresso, Eupilius, qui nullis Fastis sacris antiquis inscribitur, fuerit gavisus ac proin in Opere nostro locum jure sibi vindicet, initio dubitavi.

2 Verum hanc dubitationem mihi ademit Primus Aloysius Tattus Novocomensis, congregationis Somaschæ theologus ac sacri officii consultor. Hic enim in Novocomensi suo, quod anno 1675 edidit, Martyrologio S. Eupilium hodie his verbis celebrat, Novocomi S. Eupilii episcopi et confessoris ad aram propriam in ecclesia D. Abundii; qui Novocomum adveniens, cum vitæ probitate, doctrina et moribus excelleret, S. Eutychio meruit subrogari; ecclesiæ autem Comensi tanta religione præfuit sub ærumnoso Gothorum imperio, ut ex hac vita decedens cooptari inter cælestes

a tempore in-
memorabili, ut
Sanctus,

A cælitè meruerit, ac deinde in iis, quæ brevi huic elogio mox subnectit, S. Eupilii corpus, quod Comi in ecclesia, SS. Apostolorum Petri et Pauli primo ac deinde S. Abundii dicta, prope hujus tumulum fuerat sepultum, postea ad altare, sub proprio Eupilii nomine seu potius, ut idem auctor in sacris civitatis Comensis Annalibus, anno 1663 vulgatis, lib. 7, num. 91 et 130 docet, sub S. Eusebii, Novocomensis itidem in Opus nostrum ad XXII Maii diem jam illati episcopi, et S. Eupilii nominibus in eadem ecclesia sacrum, fuisse translatum, affirmat; cum autem altare illud jam inde ab anno 1095, uti infra docebo, fuerit consecratum, enimvero e modo dictis, fuisse S. Eupilio honores Sanctis propriis jam inde a pluribus ante annum 1634 seculis ac proin atempore ante hunc immemorabili delatos, fit perspicuum. Verum an hi solo, quod sub S. Eusebii simul et S. Eupilii nominibus consecratum esset, altari constiterit?

3 Natalitium S. Eupilii diem, seu XI, quo obiisse creditur, Octobris, fuisse etiam Comi solenni ritu ab immemorabili ante annum 1634 tempore quotannis, et quidem non interrupte, celebratum, fas est colligere ex iis, quæ laudatus Tattus in Martyrologio et Annalibus citatis tradit. Verum, quo ratione et via procedamus, convenit, ut de loco Sancti natali temporeque, quo sedem Comensem obtinuerit ac deinde obierit, sermonem prius quam hæc adducantur in medium, instituamus. A loco natali incipio. Uticæ, quæ maritima est Africæ in Mauritania civitas, Biserta modo appellata, natum esse S. Eupilium, Ballarinus in chronologico suo civitatis Comensis Compendio pag. 99 affirmat; verum, ait mox iterum memoratus in dictis ejusdem civitatis patriæ suæ, Annalibus lib. 7, num. 111 Tattus, ab omnibus nostris constanter creditus fuit Eupilius esse Germanus, solumque sese offert difficultas, ut, quænam inter multas Germaniæ civitates patria ejus sit, inveniat. Qui saniori judicio de Sancto loquuntur, eum ex urbe Utechia seu Utichia faciunt oriundum; verum qua in provincia sita sit urbs ista, nullus edicit, si unum exceperis Ferrarium, qui, nullum Germaniæ locum particulari illo nomine a geographis appellatum inveniens, eam esse civitatem illustrem Ultrajectum, Belgicæ Utrecht, quæ unius ex amœnis illis Belgii seu Germaniæ Inferioris provinciis caput est, acule (verba ejus num. 1 huc transcripta videsis) conjectat. Vere nec Utechia, nec Utichia vel, ut in uno episcoporum nostrorum Catalogo legimus, Nitechia, Germaniæ locus ullus a cosmographis invenitur appellatus; quare, similitudinis, quæ inter nomen Ultrajectum, Belgicæ Utrecht, nomenque Utechia seu Utichia, unde Eupilius ortus traditur, intercedit, ratione habita, haud gravate propendimus, ut Ultrajectum esse Eupilii patriam cum Ferrario arbitremur.

4 Ita fere quantum ad substantiam laudatus Tattus, mox etiam adjungens, eos, qui Germaniæ civitatem, Utichie nomine distinctam, haud reperientes, Eupilium idcirco Uticæ, quod nomen similitudine pariter ad Utichie seu Utechie nomen accedit, natum dixerunt Afringue adeo fecerunt, non animadvertisse, S. Eupilium natione Teutonem ac porro in Germania natum, communi consensu

ab historiographis antiquioribus asseverari. Verum etsi quidem ab antiquitate, quos hic memorat, historiographos Tattus commendat, haudquaquam tamen, quandonam floruerint, edicit; cum autem sic habeat, merito in dubium, an ab Eupilii ætate remotiores, quam ut, quæ de eo narrant, habere potuerint probe perspecta, haud vicerint, revocari potest; quare, etsi quidem, Eupilium in Germania potius, quam in Africa natum, illorum fide credendum appareat, rem tamen minime certam opinor. Brautius interim Eupilium natione Germanum facit, utpote de eo in Martyrologio suo poetico hodie sic canens:

Eupilium Germana parens produxit alumnum, Comensis patrem læta recepit humus.

Nec certum etiam est, quandonam Eupilius factus sit Comensis episcopus; attamen, cum S. Eutyechius, ad v Junii diem, quo colitur, in Opus nostrum jam illatus, proxime ante S. Eupilium sedem Comensem occupavit anoque, ut ibidem cum Tatto, qui nihil tamen certi de eo affirmari posse soletur, statuitur, 532 diem extremum clausisset, nihil propius est, quam ut, qui ei in sedem Comensem proximè successisset, hanc circa eundem annum 532 occupare incepisse dicatur.

5 Et vero tunc Eutychio in episcopatum Comensem successisse Eupilium, Ughellus Italiæ sacræ tom. 5 in epp. Com. affirmat. Nec ab eo in Martyrologio suo Comensi dissentire censendus est Tattus; etsi enim hic, Comensi ecclesiæ sub ærumnoso Gothorum imperio præfuisse Eupilium, ibidem verbis num. 2 huc transcriptis dicat, sic tamen, cum imperium illud ab anno 476 usque ad annum 554 in Italia tenuerit, haudquaquam certe Ughello, qui Eupilium anno 532 episcopum Comensem creatum scribit, adversatur. Porro haud certius annus, quo Sanctus obierit, quam quo sedem Novocomensem occupare incepit, determinare potest. Alios anno 539, alios contra anno 535 Sancti obitum inneclere, Tattus jam sæpius laudatus in memoratis Patriæ suæ Annalibus lib. 7, num. 129 præfatus, nec hosce, nec illos auctoritate sat firma inniti ac proin priorum quidem parum certam, posteriorum vero admodum dubiam esse opinionem, affirmat; cum autem nihil omnino, quo opinio-num illarum alterutra reddatur certa, occurrat, nec inepte Sanctus, sive interim anno, pro quo Ballarinus et Ughellus locis supra citat. stant, 535, sive anno, qui scriptoribus, a Tatto laudatis, præplacuit, 539 diem extremum clausisset, anno circiter 537 obiisse diceat, hinc supra tempus, quo Sanctus ad Superos migravit, utcumque designare volens, anno circiter 537 in margine adscripti, etsi interim præfracte iis, qui vel cum Castellano Eupilium aliquanto citius, quam anno 535, vel serius etiam, quam anno 539 obiisse contenderint, refragari nolim. Ad ea modo, quæ Sancti nostri morte posteriora sunt ac ad eum quocumque etiam modo spectant, progrediamur.

6 Fuisse S. Eupilium Novocomi in SS. Apostolorum Petri et Pauli ecclesia, postea S. Abundii dicta, prope decessorum suorum corpora sepultum, indeque post ad proprium S. Eusebii etiam nomine insignitum ac in eadem, ut Tattus locis supra citat. docet, ecclesia situm altare, sub quo hodieque ex infra dicendis servatur, translatum fuisse, scriptores omnes, qui

AUCTORE
C. B.

E

anno circiter
537 obiit,

F

sepultusque in
S. Abundii.
post ibidem ad
altare propri-
um est trans-
latus, subque
hoc,

de

AUCTOR
C. B.

de hoc argumento loquuntur, unanimi consensu memoriae produnt; verum nullus est, qui, quando nam translatio ista facta sit, edicat. Ballarinus quidem, Eupilium fuisse numero Viventium in caelo sub Vigilii Pontificatu, Justiniano imperatore regnante, adscriptum, affirmat; verum, an sic, S. Eupilium de loco, quo fuerat sepultus, levatum, ad supra dictum nominis sui altare fuisse tum translatum, significare intendit? Quod si sic, ut non nemini forsitan videbitur, res habeat, oportet, ut translatio ista, utpote sub Vigilii Papa, qui ab anno 537 usque ad annum 555 sedit, peracta, eo temporis spatio, quod inter utrumque hunc annum intercessit medium ac proin haud admodum diu post Sancti obitum, spectatis iis, quae Ballarinus scribit, acciderit; ast, cum hic scriptor nullum omnino vel auctorem vel monumentum antiquum, e quo, S. Eupilium Viventium in caelis numero fuisse sub Vigilii Pontificatu adscriptum, hauserit, alleget, fit vel hinc, ut, anne id tunc fuerit reipsa factum, ambigendum haud immerito sit. Dubitandi porro ea de re ratio quam maxime etiam augetur ex eo, quod altare, ad quod S. Eupilius translatus narratur, haud citius quam anno demum 1095 sacratum fuisse et jam nunc dicendis videatur.

quod Urbanus
II Papa anno
1095

7 Cum Urbanus II Papa, qui ab anno 1088 usque ad annum 1099 S. Petri Cathedram occupavit, in Longobardia, in Galliam inde profecturus, Novocomi versaretur, ibidem, ut Porcacchius de Novocomensi Nobilitate lib. 1, pag. 22 docet, S. Abundii ecclesiam una cum aliquot sanctorum Novocomensium episcoporum, Adelberti videlicet, Rubiani, Eusebii et Eupilii, altaribus consecravit. Verum quo anno id factum? Bertoldus in Chronico ad annum 1095 sic scribit: Dominus Papa (nimirum Urbanus II) rebus in Longobardia bene dispositis, in Gallias Marino itinere cepit divertere et ad Sanctam Mariam ad Podium in Assumptione ipsius pervenit, synodumque ad Montemclavum in Octavam sancti Martini Apostolica auctoritate condixit. Cum itaque, uti ex hisce chronologi dicti verbis fas est colligere, anno 1095 Urbanus II Papa, in Galliam transivisset, in Longobardia, in qua Comum situm est, castraverit, tumque et jam dictis, cum in Galliam profecturus, Comi versaretur, S. Abundii ibidem ecclesiam hujusque mox memorata altaria ac nominatim, quod SS. Eusebii et Eupilii nominibus insignitur, consecravit, consecrarium est, ut id dicto anno 1095 verosimillime fecerit. Jam vero, si altare, a SS. Eusebio et Eupilio vocatum, anno demum 1095 fuerit consecratum, id jam inde a sec. vi sub Vigilii Papae Pontificatu fuisse exstructum, ac S. Eupilii reliquiis condecoratum, verosimile haud apparet.

consecravit,
indulgentis-
que

8 Id quidem ab Urbano, non primum, sed de novo consecratum fuisse, Porcacchius loco supra cit. ait; verum, vocibus hisce de novo omissis, S. Eupilii altare ab Urbano II Papa anno 1095 dedicatum fuisse, Tattus in ecclesiae Novocomensis Martyrologio hodie notat, nec altare istud jam inde a sec. vi sub Vigilii Papae pontificatu fuisse exstructum ac S. Eupilii reliquiis ornatum, sola Ballarini scriptoris recentioris supra laudati, qui nullum pro se eadem antiquum allegat, auctoritate est credendum, fitque proinde vel hinc, an tum S. Eupilius, de terra levatus, ad nominis sui

altare fuerit translatus, incertum. Verum, D
etsi sic habeat, id equidem haud serius, quam sec. xi factum, verosimile vel ex eo apparet, quod tunc e dictis altare illud fuerit ab Urbano sacratum. Nec id tantum solenni ritu Urbanus, ut Tattus, auctoribus omnibus, qui de re illa loquuntur, ei consentientibus, affirmat, tum dedicavit, sed et variis indulgentiis, uti in civitatis Comensis Annalibus lib. 7, num. 130 laudatus Tattus pariter affirmat, ditavit. Audi, qui etiam opportune hic ad institutum nostrum idem Tattus in suo ecclesiae Novocomensis Martyrologio ad tertiam Junii diem, qua de Comensi S. Abundii ecclesia, ab Urbano II tunc consecrata, sermonem instituit, loquatur.

9 At non solum, inquit, hanc basilicam ditavit, (S. Abundii scilicet) Urbanus pro sua eximia in urbem nostram et monachos S. Benedicti, cujus antea alumnus fuerat in Congregatione Cluniacensi, humanitate dedicavit; verum etiam sacris indulgentiis perpetuo duraturis exornavit. Largitus est enim templum hoc pie visitantibus hac die illius consecrationis omnium peccatorum venialium remissionem et tertiae partis capitalium; id quod etiam ampliavit invisentibus eandem ecclesiam natalitius diebus SS. Abundii, Eusebii, Eupilii, Adelberti et Rubiani episcoporum Comensium, quorum aras ibidem erectas postridie sacris ceremoniis initiavit. Stationes ad hanc ecclesiam et altaria ob hujusmodi indulgentias tanto in honore et cultu olim habite sunt, ut ex assidua populi frequentia ii dies a forensibus causis et judiciariis actibus tam ecclesiasticis, quam secularibus ferarentur. Haec ille; e quibus sane, natalitium S. Eupilii diem solenni ritu Comi, ut supra jam monui, fuisse jam inde ab immemorabili ante annum 1631 tempore quotannis celebratum, nemo non colliget; uti autem olim, ita etiam hodie Comi is honor S. Eupilio exhibetur, sacrumque ejus corpus ibidem honorifice sub altari, ad quod e supra dictis haud serius, quam sec. xi fuerit translatum, integrum hodieque servatur. Duo haec ostendenda modo adhuc hic sunt. A postremo duco initium. Anno 1590 SS. episcoporum Comensium Abundii, Amantii, Consulis, Exsuperantii, Rubiani et Adelberti corpora, sollemnissima totius cleri ac populi supplicatione ad varias urbis Novocomensis ecclesias delata, honestiori in eisdem sede ac tumulo, ut Tattus in Martyrologio Comensi ad 1 Julii diem e documentis authenticis docet, fuere collocata.

10 Hinc factum, ut tum quoque alio S. Eupilii corpus fuisse S. Abundii ecclesia translatum, Ballarinus loco supra cit. et post hunc Ughellus tom. 5 Italia sac. per errorem, in quem et Castellanus partim est prolapsus, arbitrati, mediam sacri illius pignoris partem unam in Crucifaci, quod cathedralis Comensis ecclesia complectitur, sacellum, alteram in Fratrum Ordinis S. Dominici, quae S. Joannis de Pedemonte dicitur, ecclesiam fuisse tunc illatam, litteris mandarint; verum, ait in suis ad Ughellum Additionibus Coletus, S. Eupilii corpus totum adhuc servatur in S. Abundii ecclesia. Anno vero 1590 SS. Abundii, Consulis, Exsuperantii, Amantii, Rubiani et Adelberti corpora translata, non vero S. Eupilii. Corpora denique, quorum medietas eminentissimi Cardinalis Gallii rogatu in cathedralem, et altera medietas in S. Joannis de Pedemonte illata sunt, fuere sanctorum

honorifice hodieque servatur,

A sanctorum Rubiani et Adelberti, ut clare patet ex Inscriptiōe, quæ in cathedrali in crucifixi sacello legenda prostat, hujus tenoris : " Sanctorum corporum Adelberti et Rubiani episcoporum Comensium pars altera ab ecclesia S. Abundii hunc translata an. 1590 die 1 mensis Julii celeberrima supplicatione. " Ita ille, pro se mox citans Tattum, qui, quæ ait, in civitatis Comensis Ann. lib. 8, num. 197 docet.

ac Officio etiam ecclesiastico Comi quotannis modo honoratur.

11 Verum etsi S. Eupilii corpus in solenni modo hic memorata supplicatione translatum haud fuerit, a Ninguarda tamen Novocomensi episcopo, sub quo hæc facta, fuit supra memoratum, sub quo illud quiescit, altare ad pristinam venerationem, cum in ecclesiæ S. Abundii instauratione (Tattum in Novocomensi Martyrologio ad xxii Maii videsis) labefactum fuisset, sacris denuo ceremoniis restitutum, subque illo hodieque sacrum illud pignus, sericis velis involutum arcæque plumbeæ, quæ una cum arca, S. Eusebii corpus continente, in magna tumba marmorea collocata est, inclusum, honorifice, uti iterum apud Tattum in Novocomensibus Annalibus lib. 7, num. 130 videre licet, servatur. Ceterum Sanctus, cujus ita corpus Novocomi us-

que in hoc etiam tempus custoditur, ibidem quoque, non secus atque olim, solenni modo ritu et quidem, etsi interim id factum a tempore immemorabili forsitan haud fuerit, officio ecclesiastico colitur. Ita scilicet Ferrarius et Tattus suadent. Prior enim, postquam sanctis Novocomensibus episcopis, de quibus nullum ecclesia Novocomensis recitat officium, in nova sua in Martyrologium Romanum Topographia, anno 1609 excusa, S. Eupilium accensuit, eundem deinde haud multis abhinc annis in ecclesia Comensi celebrari cœpisse, in Sanctorum Italiæ Catalogo, anno 1613 typis vulgato, affirmat; ita autem, tunc Eupilium haud dudum cœpisse in ecclesia Comensi Officio ecclesiastico coli, non obscure, ut apparet, prodit; quod autem ad posteriorem seu Tattum spectat, hic hodie auctores, qui de S. Eupilio tractant, in Novocomensi suo Martyrologio enumeraturus, hisce ecclesiæ Novocomensis Officia accenset, cumque id, nisi hæc inter officium de S. Eupilio reperiretur, facturus fuisse haud videatur, est sane, cur ea inter re etiam ipsa officium hujusmodi reperiri hocque in ecclesia Comensi quotannis de S. Eupilio recitari existimetur.

AUCTORE
C. B.

DE S. FIRMINO, EPISCOPO

USETIENSI,

IN OCCITANIA INFERIORI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. F.

Sancti memoria in Fastis sacris, cultus, quædam vitæ chronotaxis,
Acta qualia edenda.

ANNO DLIII
Sanctus, cujus
in Fastis sacris
memoria;

Usetia seu Uzetia, aliis Ucetia vel Utica Urbs Galliæ, in Occitania Inferiori, episcopalis hoc die S. Firminum, quondam antistitem suum, veneratur. Hujus memoriam Usuardus hisce verbis celebrat : V. Idus Octobris civitate Uzetia Firmini episcopi et confessoris. Eodem die iisdemque terminis vetus apud Saussayum monasterii S. Savini de Levitania Hagiologium, Martyrologium Rothomagense, et Florarium nostrum Ms. ipsum commemorant. Cardinalis Baronius in prima sua Martyrologii Romani editione S. Firminum Uzetia, non in Gallia Narbonensi, sed in Africa cathedram habuisse sic refert : Uzetia in Africa xi Octobris sancti Firmini episcopi et confessoris. Quam annuntiationem postea, non recentiores Martyrologii Romani (ut Dominicus in Opere, cui titulus, Familia rediviva Ansberti, refert) editores, sed ipsemet Baronius cum nempe eodem præcise die sicut et 2 Maii Usetia in Occitania Inferiori S. Firmini festum celebrari, animadverteret, mendosam judicavit; ideoque anno 1631, quo Martyrologium Romanum, adnotationibus a se illustratum, publici juris iterum fecit, lectioni in Africasequentem in Gallia Narbonensi substituens, al-
Octobris Tomus V.

lucinationem suam purpuratus vir correxit. Hunc Castellanus et P. Labbeus secuti, in suis Martyrologiis, Gallice editis, etiam locum, in quo Sanctus episcopi minus obierit, clarius quam citati Usuardus, Florarii nostri Ms., Martyrologii Rothomagensis, et veteris Hagiologii monasterii S. Savini de Levitania auctores, sic indicant : v Idus Octobris Uzetia in Gallia Narbonensi S. Firmini episcopi et confessoris. Quibus etiam consentiunt Calendaria ecclesiarum Usetiensis, Biterrensis et Narbonensis, quæ ipsum Usetia in Gallia Narbonensi episcopum fuisse constanter tradunt. Mendosa interim, quam recitavi, Martyrologii Romani, a Baronio vulgati, annuntiatione suffultus Faber, libro, cui titulus : Disquisitio historica de matrimonio Ansberti cum Blithilde, contendit, Usetia in Gallia Narbonensi antistitem nomine Firminum nunquam existisse. At quam multum hujus auctoris assertum a veritate alienum sit, conciliorum Galliæ, quibus Sanctus interfuit, subscriptiones, de quibus in hujus Commentarii decursu agemus, dilucide evincunt.

2 Neque tantum Fasti sacri ecclesiarum Usetiensis et Biterrensis Sancti memoriam celebrant, sed quotannis xi Octobris ipsius obitus

in Usetiensi,
Biterrensi, et
Narbonensi
ecclesiis

82 tus